ARCHI-
EPISCOPORVM
CASSELIENSIVM
& Tuamensium
VITÆ.

Duobus expressæ Commentariolis.

Quibus adijcitur historia Cœnobiorum Cistерciensium Hiberniæ.

IACOBO WAREO
Authore.

DUBLINI.
Ex Officina Societatis
Bibliopolarum.

M. DC. XXVI.

ARCHIEPISCOPORVM CASSELIENSIVM & Tuamensium VITÆ

Duobus expressæ Commentariolis.

Quibus adjicitur historia Coenobiorum Cisterciensium Hiberniæ.

IACOBO WAREO Authore.

DVBLINI.

Ex Officina Societatis Bibliopolarum.

M.DC.XXVI.

Ad Lectorem.



Istoriolas hasce in lucem emisi, cū ut memoria horum Antistitum non intercideret, tum ut alios in hāc arenam provocarem, qui politius & maiori cum iudiciô, res nostras, plerisq; ignotas condant. Atq; in hac indagine eò libentius desudavi, quia omnia penè vetera utriusq; sedis monumenta, (Casselienſis scilicet & Tuamensis,) sive per incuriam & negligentiam, sive per bellorum rabiem perierunt, vel saltem per invidorum malitiam hodiè delitescunt. Vt noscas igi-

tur, quos secutus sum authores; placuit hic adijcere Indicem praecipuorum Codicum MSS, è quibus mutuatus sum, quicquid ferè huc boni contuli

Liber Cœnobij Inisfallensis, in agrô Kerriensi, in quô, varij authores brevitèr res nostras, ab aurorâ Christianæ fidei in hac Insulâ, usq; ad annum Domini, 1320. perducunt

Annales Prioratus Insulæ omnium Sanctorum (in occiduo limite comitatus Longfordiæ) à Canonicis eiusdem Prioratus collecti.

Annales Ultonienses à Roderico O Casside Archidiacono Clogherensi (qui obijt 1541) multò maxima parte descripti, sed in annis recentioribus author Anachronismos sæpè commisit. Horum Annalium bina vidi exemplaria, inter se

haud

haud parum discrepantia.

Registra sedis Armacanæ, quibus usus sum beneficiô Christoph. Hamptoni nuper ejusdem sedis Reverendissimi Archiepiscopi.

Annales Monasterij B. Mariæ Dublin. Annales Montis Fernandi, & Annales Joannis Clynne Minoritæ Kilkenniensis, in Bibliothecâ Reuerendissimi Doctissimiq; V. Jacobi Vsserij, hodierni Armacani Archiepiscopi.

Annales Conacienses à Monachis (ni fallor) Cœnobij Buelliensis conscripti, & ad annum perducti 1253. *penes virum honoratissimum Oliverum Dom.* Vicecomitem Grandison de Limerick, *jampridèm dignissimum Hiberniæ proregem, & nunc summum ejus-*


dem

dem regni Quæstorem.

Annales Minoritarũ Nenaghtensiũ.

Chronicon Loghkæense, cujus, eam duntaxat partem vidi, quæ incipit Anno Domini 1249. (*Bienniô scilicet ante obitum Clari mac Mailin Elphinensis Archidiaconi, loci fundatoris:*) *& desinit anno* 1408.

Libros impressos, & Regias Tabulas hic consultò omisi, margo plerunq; suppeditat. Opus hoc qualecunq; jam aggredior; quod ut nudè tractem, sine fuco, sine malitiâ, Deum Opt. Maxim. precor & obtestor.



ARCHIEPISCOPI CASSELIENSES.



VM Caſſelia per annos CCCCLX. S. *Albei* & ſucceſſorum Epiſcoporum Emelacenſium juriſdictioni ſubfuiſſet; *Cormacus* filius *Culinani* (iam regnô Caſſelienſi potitus) Caſſeliæ novam Eccleſiam Cathedralem erexit: ubi ipſe Epiſcopi munus (quod mireris) obivit. Hunc morem apud Hibernos illo ævo viguiſſe, ſcriptores patrij luculentèr oſtendunt. Meminit *Cormaci* hujus *Caradocus Lancarvanenſis* in *Cambriæ* Chronicô, ſed *Carmotum filium Cukemani, Regem & Epiſcopum Hiberniæ*, ſive is, ſive librarius, perperàm appel-

lat, & incertam nescio quam famam (vt postea patebit) secutus, *à Danis,circa annum* 905. *in præliô occisum* tradit. De præliô quô cæsus est,exactô regni septenniô, sic rectiùs liber Insulæ omnium Sanctorum. *Anno* 907. (vel 908) *Bellum Belaigmuna, in quô Cormac mac Culinan Rex casseliæ, Scriba,atque optimus Episcopus,sapientissimus Scoticæ linguæ, à Lageniensibus & Lei-cuinensibus occisus est.* Vnà cum illo ceciderunt [a] *Fogertacus mac Suibne,Rex Ciaragiæ,Cellacus mac Cervail,Rex Osraigiæ,*&c. *Victores fuerunt Flan mac Melachlin,Rex Temoriæ* (sive Midiæ) *Carolus mac Murrecan Rex Lageniæ,& Carolus mac Conochor Rex Conaciæ.* Cormacus is,[b] *vir fuit* suo sæculo *pius & religiosus*, addam doctus & antiquitatis nostræ scientissimus. Scripsit historiam suæ gentis (*Psalter-Cashell* vulgò dictam) quæ etiamnùm extat, & magno habetur in pretio. [c] Ecclesiam ejus dedicatam fuisse comperi (& Synodum ibidem habitam) Anno CHRISTI MCXXXIIII. Illam posteà, successores in Capellam Ecclesiæ Cathedralis cõverterunt. Verùm adhuc conditoris nomine nuncupatur, & tumulus

a *Annal, Vlton.*

b *Caradoc. Lancarvan.*

c *Annal. Insul. omnium Sanctorum.*

tumulus ejus in hodiernum vſque diem ibidem oſtenditur.

Donatus O Lonargan.

A Cormaco illo ad *Donatum* vſque *O Lonargan* (qui primus Palliô uſus eſt) quatuor duntaxàt qui huic ſedi præfuerunt, mentionem reperi. Primus eſt [d] *Donaldus Buahein*, qui obijt 1096. Secundus [e] *Milerus O Dunan*, is obijt 1118. Tertius [f] *Meliſæus O Foglada*, qui obijt 1131. Et quartus [g] *Donatus O Conaing*, qui anno deceſsit 1137. Hos omnes (excepto *Meliſæo*, licèt ante uſum Palliorum in Hiberniâ) Hiſtorici noſtri Archiepiſcopos nominant. *Lonerganus* noſter authoritate Pontificiâ, primus creatus eſt hujus ſedis Archiepiſcopus, Anno 1152. Ad quem annum ſic loquitur *Anonymus* qui tùm vixit. [h] *Ioannes Paparo Cardinalis ab Eugenio Tertio Pontifice Romano miſſus, cum Chriſtiano Epiſcopo Liſmorenſi totius Hiberniæ Legato, in Hiberniam venit. Idem Chriſtianus in Mell:* (ſive Mellifontis Mo-

[d] *Annal. Conac.*
[e] *Ibid.*
[f] *Annal. Viton.*
[g] *Ibid.*
De hac re vide *Vincent* ſpecul. hiſt. (*in viſione Tundali*) lib. 27. cap. 88.

[h] *Tit. S. Laurentij in Damaſo.*

 naſte-

nasteriô) *Concilium celebravit: cui interfuerunt Episcopi, Abbates, Reges, Duces & Majores natu Hiberniæ; quorum consensu Archiepiscopatus constituti sunt quatuor Armacanus, Dublinienses, Casselienses, Toamensis: Quibus præfuerunt eo tempore, Gelasius, Gregorius, Donatus, Edanus. Ioannes Cardinalis, benedicens clero, (post Pascha* 1153. ut mihi Author est *Ioannes Hagulstaldensis,* sive *Hexamensis, per Scotiam iter faciens) Romam reversus est.* Donatus hic, vir tam ob eruditionem, quam ob liberalitatem presertim erga egenos, multùm celebratus, *in senectute bona quievit*[i], *Anno Christi* (Dionysiano) MCLVIII.

i Lib. Priorat. Insulæ omniũ Sanctorum.

Donatus O Hullucan.

HVjus tempore (anno nempè 1172.) celebratum est Concilium Casseliense, Præsidente Christiano *O conarchy* Episcopo *Lismorensi* & Legato Pontificio, idque mandatô Regis (nostri) HENRICI Secundi, quâ de re consulas [k] *Giraldum Cambrensem & Roge-*

k Hib. expug lib. 1. c. 33. & 34.

[l] *Rogerum Hovedenum.* Mortem obijt 1182. [l] *Hist. Ann.* 1172.

Mauritius.

SVccessorem Mauritium Girald. Cambrensis *virum* appellat *literatum & discretum.* Vti videre est in Topogr. ejus Hiberniç cap.32.ubi de accurato ejus dicto loquitur. Nescio an hic sit idem cum Marino O Brien, qui à Donaldo more (i. magno,) O Brien Rege Limericensi; apud quem admodum fuit gratiosus: impetrasse dicitur Mannerium de Fetherd, quod mox Burgensibus suis contulit. [m] *Tenendum de se & successoribus suis in libero Burgagio, per servitium duodecim marcarum per Annum, & per sectam Hundredi sui in eadem, coram Præposito eiusdem Villæ, quam quidem donationem, Ioannes quondam Rex Angliæ dictis Burgensibus confirmavit & ratificavit per literas suas patentes.* Quando obierit nequeo dicere.

[m] *Ex antiq. Inquis.*

Matthæus.

MAtthæus Monachus Ciſtercienſis & Legatus Pontificius, Archiepiſcopus fuit 1194. Nam eo anno teſtis fuit chartæ Donaldi O Brien Regis Limericenſis, quâ cōceſsit *Brictio Lumnicano* (ſive Limericenſi) *Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus, cleroque Sanctæ* Mar*iæ Limerici, in liberam & perpetuam eleemoſynam, terram* Mungram (aliàs Mungret) ut ex Regiſtro ejuſdem Eccleſiæ conſtat. Scripſit hic (præter ea quæ perierunt) vitam Divi Cuthberti, qui [n] Chenanuſiæ natus, poſtquàm multos annos ſub Eata & Boiſillo Abbatibus, in cœnobio [o] Mailroſenſi tranſegerat, in Epiſcopum conſecratus eſt Lindisfarnenſem, anno 614. ac in Sanctorum numerum poſteà relatus. Hæc obitèr. Matthæi hujus Elogium quod in Annalibus Monaſterij Beatæ Mariæ Dublin. reperi, non pigebit aſcribere. *Anno Domini* MCCVI. Matth*æus Archiepiſcopus Caſſelienſis totius Hiberniæ Legatus, vir præ cæteris Hibernienſibus ſapientiſsimus & religioſiſsimus,* poſt

n *Hodie* kells *in Com. Midiæ.*

o *In valle ad Teſium vulgò Teiſidale, quæ regiuncula eſt Scotiæ, Angliæ proxima.*

post multarum Ecclesiarum fundationem, post victoriam de antiquo hoste in multis miraculis habitam, in monasterio de sancta cruce, (in agrô Tipperarienſi :) *Spontaneâ voluntate universâ pompâ sæculi spretâ, fœlicissimè quievit.* Ad eundem annum ſic Liber Inisfallenſis cœnobij. *Archiepiscopus O Heny* (cognomen puto noſtri Matthæi) *quievit in christo.*

Dionysius O Lonargan.

DEfunčto Matthæo, Archiepiſcopus renunciatus eſt Dionyſius O Lonargan, qui Romæ deceſsit 1215. (ſi non, p 1216.) dum Concilio ibidem congregato intereſſet, quô annô obijt etiam ibidem Eugenius mac Gillevider Archiepiſcopus Armacanus. Et finito concilio, (qui illos comitatus eſt) *conochor O Heny* Epiſcopus Laonenſis q *revertens in viâ quievit.*

p *Annal. Vlton.*

q *Ibid.*

Donatus aliàs *Donchadus O Lonargan.*

QVi succeſsit, Donatus O Lonargan [r] *Burgum dicitur feciſſe apud Caſſell, & dediſſe* Burgenſibus *Burgagia*, &c. [ſ] Pontificatu ſe ſponte abdicavit 1223. Superfuit abdicationi annis novem, obijt nempè 1232.

[r] *Placit. An. 7. Ed. 2.*
[ſ] *Annal. Inisfallen.*

Marianus O Brien.

MArianus O Brien ritè electus, ab Eccleſiâ Corcagenſi ad Caſſelienſem Anno 1223. transfertur. Huic, & ſucceſſoribus Henr. III. Rex Angliæ [t] *remiſit & quietam clamavit*, (ſic enim in ejus diplomate legitur) *novam villam Caſſeliæ, & conceſsit eandem villam, de cætero, de ſe & hæredibus ſuis tenendam, in liberam, puram, & perpetuam eleemoſynam, quietam ab omni exactione & ſervitio ſeculari. Teſtib. Ioſcelino Bathon. Thoma Norwicenſi, & VValtero Carleolenſi Epiſcopis, &c.*

[t] *Plac. 21. Ed. 3.*

XV.

xvi *Novemb. Anno* xiii. Eandem mox Villam ipse Marianus Præposito, & duodecim Burgensibus sive concessit, sive confirmavit, pensiunculis quibusdam sedi suæ reservatis; viz. *ex Villâ 6.lib. ex Hundredô & curiâ, 13 sol. 4.den. Furnô item, & macello exceptis.* Hujus licentiâ David le Latimer miles (Senescallus) leprosis Ptocotrophium, sive hospitale Casseliæ construxit, ubi filiam suam leprosam abdidit. Illud pòst, David mac Carwill Monasterio à se constructo, conjungi & aduniri curavit. Marianum in Monasterio Suriensi (quod Inisslawnaght vulgò vocitamus) obijsse M. CCXXXVIII. tradunt Annales Inisfallenses. Sed non ita est, nam ex Regijs monumentis decessisse constat, M. CCXXXVI. mense Ianuario.

David mac Kelly.

DAvid mac Kelly ex Casseliensi Decano, Præsulatum adeptus est Clonensem, & inde ad Casseliensem Archiepiscopa-

tum translatus est, M.CCXXXVII. Dum adhuc Decanus esset, sodalitio se dedit fratrum Prędicatorum Corcagiæ: è quorum grege, (posteà Archiepiscopus) cœnobiolum (quod Casseliæ posuit M.CCXLIII.) replevit. Excessit ex hac vitâ M.CCLII. vel (ut aliqui rectiùs) M.CCLIII. Ad quem annum sic Monachus Buelliensis (cum his ipsis verbis Annales suos terminans.) *David mac Kelluig Archiepiscopus Casseliensis, & Alin O Sulivan Episcopus Lismorensis quieverunt.* Tumulatum ferunt in capellulâ Apostolorum, (quę ingredientibus chorum à sinistris ni fallor sita est) fortè in Septentrionali pariete ejusdem, ubi statuam vidi Pontificis (speciosam profectò) tumulo insculptam.

David mac Carwill.

QVi successit, David (quibusdam Donoverich) O Carroll annos totos XXXV præfuit. Hic Cantariam Sancti Nicholai Casseliæ fundavit. Cœnobium quo-

que

que posuit Cisterciensibus propè Casseliam, vulgò *Hore=Abbey* & de Rupe *cashell*, dictum: quod Benedictinorum (quos expulerat) redditibus dotavit. Constructionis causam perridiculam ex Archivis Regijs quæ in chartophilacio Birminghamiano asservantur, sic legas. [u] *Tempore Davidis mac Carwill Archiepiscopi cassel. fuit quædam Abbatia prope Ecclesiam cathedralem sancti Patricij casseliæ nigrorum Monachorum, fundata in honorem beatæ Mariæ: Et cum prædictus David nunciasset matri suæ, quod videbatur ei in somnio, quod præfati nigri monachi caput suum voluerunt amputare, de consilio matris suæ, monachos illos amovit, & terras eorum & possessiones dedit novæ Abbatiæ, quam fundavit.* Hanc, monachis replevit è cœnobio [x] Mellifontis. Perperàm igitur in [y] Catalogo Monasteriorum Cisterciensium vivente Divo Bernardo fundatorum, locum habet Monasterium hoc de Rupe Cassel: Siquidem inter obitum Bernardi & Davidis hujusce electionem, anni centum effluxerunt. Sed hæc obiter. Paulò pòst, injuriosiùs dicitur tractasse Keranum Decanum Casselien-

u *Placit. an. 7 Ed. 2.*

x *Monast. de Rupe Cassel. filiatio dicitur Mellifontis in Archivis an. 4 & 23. Ed. 3.*

y *Extat inter opera D. Bernardi apud Ioa. Keerbergium excus. 1616.*

ſelienſem, atque protervè & inſolentèr alia multa feciſſe. Anno M. CCLXXVII. (vel [z] M. CCLXXVIII.) in Angliam trajecit, ut de criminibus objectis ſe apud Regem purgaret; ubi cùm per biennium hæſiſſet, in gratiam Regis receptus eſt. Poſt reditum, novam ſubodoratus criminationem in ſe comparatam ab inimicis, iterum in Angliam ſolvit, ubi ita ſe geſſit, ut eum Rex in priſtinam gratiam receperit. Mortem obijt M. CCLXXXIX. neſcio an in Monaſteriô à ſe conſtructô, an in Eccleſiâ Cathedrali ſepultus. Author Annalium Montis Fernandi Davidem hunc, habitum Ciſtercienſis monachi ſuſcepiſſe tradit, M. CCLXIX.

z Annales Inisfallen.

Stephanus O Brogan.

STephanus O Brogan, patriâ Vltonienſis, Temporalium accepit reſtitutionem decimo quinto die Aprilis Edwardi primi, anno decimo nono. i. M. CCXCI. Sedit annos pluſquam undecim. Obijt ſub initium

Au-

Augusti, M. CCCII. in Ecclesiâ suâ sepultus: unde corrigendi sunt Annales Vltonienses, qui tempus obitus ad annum M.CCXCVIII. referunt. Per biennium ferè tunc sedes vacavit.

Mauritius mac Carwill.

ANno M.CCCIIII. quasi ineunte, Mauritius mac Carwill in Casseliensem Antistitem sacratus est; & Temporalibus restitutus decimo octavo mensis Iulij subsequentis. Hujus licentiâ [a] Gualterus Multoc fratribus Augustinianis Fetherdæ sedem molitus est. Interfuit Mauritius Parlamento [b] Kilkenniæ coacto, M.CCCIX. & sub finem ejusdem, unus fuit ex Præsulibus illis (ut id obiter annotemus) qui duodecimo die Februarij, in Ecclesiâ Cathedrali sancti Canicij Kilkenniæ, præsentibus Ioanne Wogan Hiberniæ Iusticiario, Richardo de Burgo comite Vltoniæ, Ioanne filio Thomæ, (quem posteà Edwardus secundus comitis Kildariæ titulô orna-

a Com. Placit an. 34. Ed. 1.

b Lib. rub. Scaccarij.

ornavit) Ioanne de Barry, Mauritio de Rupe forti, (sive Rochfort) & aliorum nobilium numero permagno, Eorum consensu, singulis sub anathematis pœnâ interminati sunt, nè Ordinationes tunc temporis in Parlamento editas violarent. Obijt M.CCCXVI. mense Martio, consecrationis suæ Anno XIII.

Gulielmus filius Joannis.

DEfuncto Carwello, successor designatur ab una parte Canonicorum Casselensium, Ioannes mac Carwill Episcopus Corcagensis, (qui posteà successit.) Ab altera verò, Archideaconus Casseliensis. Vtrasque electiones Papa cassavit, ac Archiepiscopatum contulit Gulielmo fitz-Iohn Episcopo Ossoriensi, viro eo seculo quovis honore digno. Canonicus hic primùm fuit Kilkenniensis, ac in Episcopum Ossoriensem legitimè electus, consecrationem accepit [c] *Kilkenniæ* M.CCCII. *Dominicâ infra Octavas Epiphaniæ.* Illam Ecclesiam cum per aliquot

c *Io.Clynne.*

annos

annos laudatè rexisset, Casseliam translatus est mense Februario (juxta computationem Anglicanam) M.CCCXVII. Annoque insequente uno eodemque ferè tempore Hiberniæ constituitur & Custos & Cancellarius (Episcopatu Ossoriensi interim à Papâ Richardo Ledred minoritæ Londinensi concessô.) Illius tempore urbs Casseliensis mœnibus cincta est. d *Obijt* M.CCCXXVI. *crastino exaltationis sanctæ Crucis, vir potens, dives, ac venerabilis in populo & in clero.* Hunc puto fuisse Gulielmum illum Episcopum Ossoriensem, qui appropriavit cœnobio & conventui sancti Ioannis Evangelistæ Kilkenniæ, Ecclesiam de Claragh, reservatâ Vicarijs collegiatis sancti Canicij, annuâ pensione xx. solidorum.

d *Ibidem.*

Joannes O Carroll.

IOannes O Carroll antedictus (quem etiam mac Carwill in Archivis Regijs appellatum comperi) Ecclesiæ Cathedralis sancti Finbarri (sive Barri) Corcagiæ Decanus, totius

totius capituli consensu, in illius Ecclesiæ Episcopum postulatus, assensum Regium obtinuit Iunij duodecimo M. CCCII. & confirmationem Archiepiscopi Casseliensis mense Iulio insequente. Quam annos viginti moderatus, Thomæ de S. Leodegario (sive St leger,) in Episcopatu Midensi, per Papam designatus est successor. Vnde post quinquennium (nempè decimo octavo Iulij M.CCCXXVII.) non post *duos annos & dimidium* (ut quibusdam placet) Casseliam migravit. Anno tandem M. CCCXXIX. *circa festum Sancti Petri ad vincula* (inquit Ioannes Clynne in Chronicô suô nódum typis excusô) *Londonijs obijt, à Curiâ Romanâ rediens.* Post ejus obitum, vndecim Manneria ad Archiepiscopatum tunc temporis spectantia, *in manum Regis* (ut loquimur) *sunt seisita*; Quæ omnia, (si Camusense excipias) ab Ecclesiâ hodie sunt alienata, pensionibus nescio quibus annuatìm reservatis.

Gualterus

Gualterus le Rede.

GValterus le Rede (sivè Rufus) Philippo de Slane Dominicano successor declaratus Corcagiæ M.CCCXXVII. Hùc per Papam (qui [e] *Provisionem Ecclesiæ Casseliensis, Ioanne adhuc vivente, suæ & Apostolicæ sedis dispositioni, cum ipsam vacare continge-ret, eâ vice se reservâsse* dicebat) anno M.CCCXXX. translatus est, & Augusti 19. Temporalibus restitutus. Eodemque anno ad finem tendente, vitam cum morte commutavit. [f] Papa intereà Episcopatum Corcagensem sic vacantem contulit Ioanni de Rupe electo Dunensi. Walterus hic paulò ante obitum, decimas quasdam Vicarijs Choralibus concessit. Et cum adhuc Episcopus esset [g] Corcagensis, Vicarijs ibidèm habitationem commodam assignavit.

e *Placit. Coronæ an. 3. & 4. Ed. 3.*

f *Ibidem.*

g *Ex archiv. Eccl. Corcag.*

Ioannes O Grada.

ILlum sequutus est Ioannes O Grada Rector de Ogulsin in Diocesi Laonensi, *vir*

magnæ discretionis & industriæ (ut loquitur author Annalium Nenaghtensium.) Decessit Anno Domini M. CCCXLV. 8. Idus Iulij Archiepiscopatus sui XIIII. & in Ecclesiâ suâ sepultus est, quam plurimis donis ornârat.

Radulphus Kelly.

RAdulphus Kellæus Pontanæ natus est, (quàm *Drogheda* & hodiè vulgò *Tredagh* appellamus) *vir* (ut [h] Ioannis Pitsei verbis loquar) *cui multiplex eruditio, & virtus spectata, celebrem contulerunt famam.* Hunc in adulterio susceptum tradit (quam verè nescio) Ioannes Baleus, Episcopus Ossoriensis. Adolescentiam in cœnobio Kildariensi exegit, ubi Carmelita factus est. Annoque [i] M. CCCXXXVI. *ordinatus est pro toto suo ordine prolocutor, & sub Petro de Casa generali magistro, generalis Advocatus.* Anno demum M. CCCXLV. (Balæo perperàm M. CCCXLII.) à Papâ Casseliensis constitutus est Antistes. Temporalia illius sedis accepit à Rege (ut in

h *Tom. I. relat. de rebus Anglicis.*

i *Bal. centur. scriptor. Britan.*

Ar-

Archivis Scaccarij patet) quarto Aprilis Edwardi III. anno vicesimo. Kellæus hic circa pacem & reditus suæ Ecclesiæ, multùm desudavit. Casseliæ decessit M. CCCLXI. [k] *in festo sancti Edmundi Regis & martyris* Novembris nimirum vicesimo, in Ecclesiâ Patricianâ ibidem sepultus. Scripsit *de Iure Canonico lib. unum Epistolarū familiarium lib. unum*, vel (ut alij) *lib.* 7. & alia quædam quæ nunc non extant. Meminit porrò illius Anthonius Possevinus in Apparatu sacro, sed *Radulphum Kullei* vocat, & addit Anglum fuisse, ut nomine, sic patriâ, allucinatus.

k *Ann. l. Nenaght.*

Georgius de Rupe.

PRoximus illi successisse dicitur Georgius de Rupe (sive Roch.) De cujus exitu intempestivo, in Annalibus fratrum Minorum Nenaghtensium illis ipsis temporibus conscriptis, sic legimus. *Anno Dom.* M.CCCLXII. *submersus est Georgius de Rupe Archiepiscopus Casseliensis*, in reditu fortè à Curiâ Roma-

nâ. Cæterum, vel non fuit conſecratus, vel ſubmerſus eſt ante Temporalium reſtitutionem. Nam in Archivis Regijs, Thomam, tum nuper Archiepiſcopum Tuamenſem, Temporalia hujus ſedis, tanquam vacantis à morte Radulphi, accepiſſe comperi.

Thomas O Carroll.

SEdem tum per aliquot annos vacaſſe conſtat. Anno tandèm M. CCCLXV. Papali Bullâ renunciatus eſt qui ſuccederet Thomas O Carroll Archiepiſcopus Tuamenſis, quartus ejuſdem cognominis qui huic ſedi præfuit. Vir, ob multiplicem eruditionem & prudentiam memorandus. Ex familiâ ô Carrollorum in Elienſi territorio, (modò comitatui Regis annexô) oriundus. Obijt [l] M. CCCLXXIII. Februarij 8. in Eccleſiâ ſuâ Cathedrali ſepultus. De illo plura inter Tuamenſes.

l *Annal. Nenaght.*

Philippus

Philippus de Torrington.

DEfunctô Thoma, translationis suæ anno octavô, Gregorius XI. Papa, sedem hanc per provisionem contulit Philippo de Torrington Minoritæ, Theologiæ Doctori; cui, post submissionem & agnitam Regi fidelitatem, Temporalia Archiepiscopatus sunt restituta [m] 19. Septembris An. XLVIII. Edwardi Tertij. Brevi posteà à rerum potitô Richardo Secundo, ad Vrbanum Sextum missus est Legatus. De successu legationis in historiâ anni M.CCCLXXIX. hæc habet Thomas Walsingamus. *Sub ijsdem diebus venit à Româ Archiepiscopus Casseliensis Hibernicus, qui illùc missus fuerat urgentibus quibusdam causis, reportans magnam potestatem ligandi & solvendi, indultam sibi ab Apostolico: Cum autem venisset Londonias, habito sermone ad populum, denunciavit Regem Franciæ, & quotquot Antipapæ adhærebant, involutos excommunicationis sententiâ, asseverans etiam jam Angliæ forè tempus acceptabile in causa Regis Angliæ, ad invaden-*

[m] *Archiv. Canc.*

dendum regnum Franciæ, præsertim cùm esset ve-risimile, quod Rex anathematizatus, non haberet fiduciam resistendi. Excessit è vivis hic præsul M.CCCLXXX. Novembr. 22. cùm 6. annis Archiepiscopatum administrâsset.

Petrus Hacket.

POst Torringtoni obitum, annos quatuor sedes vacavit. Temporalibus toto eo tempore in fiscum redactis. Sed impetratâ tandem à Rege (pro more) eligendi licentiâ, (sive *Congedeslier*) electus est Petrus Hacket Archideaconus Casseliensis. Mortem obijt M. CCCCVI. consecrationis anno XXII.

Richardus O Hedian.

RIchardus O Hedian (vel O Heden) Canonicus Casseliensis in Archiepiscopum sacratus est An. Do. 1407. sed Temporalium non accepit restitutionem ante 14. Septembris

tembris M. CCCCVIII. Extat possessionum & proventuum hujus sedis *Rentale* (ut vocatur) per eum anno M.CCCCXIX. conscriptum. Atque ut unicum est, sic nudum certè; nam huic operi ne minimam quidem lucem præbuit, nisi quod Epigraphe ejusdem docet Richardum illum possessiones Archiepiscopatus ibi *subscriptas*, ab alijs (per socordiam ut videtur prædecessoris) injustè usurpatas, repetisse: cùm *in adventu non unum habuerit locum in aliquo mannerio, ubi caput suum reclinaret.* Aulam hic construxit Vicarijs choralibus, quibus etiam [n] *Villas de Grange Connell Baon & Thurlisbeg* elargitus est. Domos aliquot Archiepiscopales in mannerijs suis refecit, & (quod tacendum non est) Ecclesiam Cathedralem (sancti Patricij) de novo construxit, vel saltèm, tùm fatiscentem reparavit. A fundamentis illam excitarat [o] Donaldus O Brien, Rex Limericensis, eximius ille Ecclesiarum & cœnobiorum conditor & instaurator (veteri Ecclesiâ Cormaci in capellam ex parte Australi chori commutatâ.) Colle quidèm, præcipitioque munita est; sed ventis ob sub-

n *Inq. Scac.*

o *Inquis. an. 2 Hen. 4.*

ſublimem ſitum nimis expoſita. Anno Domini M. CCCC. XXI. Parlamentum Dublinij coactum eſt. *Accuſatur ibi* Hedenus hic, *à Ioanne Geſe, Epiſcopo Liſmorenſi & VVaterford. de 30. articulis, quòd plurimi fecit Hibernicos, & nullum Anglicum dilexit; quòd nulli Anglico dedit beneficium, & ſic jubebit alijs Epiſcopis quod non darent minimum beneficium; quòd fecit ſigillum Regis Angliæ, & literas patentes Regias; quòd ordinavit ſe Regem Momoniæ; quòd accepit annulum de imagine beati Patricij, quem obtulit comes Deſmoniæ, & dedit meretrici ſuæ, & multa alia enormia dedit in ſcriptis, & vexati ſunt Domini & communes per eos.* Hactenus ejus æqualis Henricus Marleburgenſis (Vicarius de Balliſcaddan in Dioceſi Dubliniensi.) Obijt tandèm Hedenus annorum plenus, Anno Domini M. CCCCXL. p *die Veneris proximo poſt feſtum ſanctæ Margaretæ virginis*, & in Eccleſiâ ſuâ ſepultus eſt. Poſt illius obitum, per decennium ſedes vacavit. q *Temporalibus toto eo tempore ad firmam traditis Iacobo Butler Comiti Ormoniæ.*

p *Archiv. Scaccar. ann. 28. Henr. 6*

q *Ibidem.*

Ioannes

Joannes Cantwell.

POst decennij (uti dixi) vacationem, Ioannes Cantwell legum Baccalaureus, Academiæ Oxoniēsis alumnus,[r] *per Bullam Papalem* Archiepiscopus renunciatus est. Non desunt tamen, qui alium Ioannem Cantwell LL. itidem Baccalaureum, & Oxoniensem, illi præponant. Eum obijsse dicunt M.CCCC.L. in festo sancti Valentini. Sed illos hallucinatos autumo. Ioannes noster multa ab Edwardo Quarto privilegia impetravit in [s]Archivis Cancellariæ memorata. Mense Iulij M. CCCC. LXXX. Fetherdæ, Synodum coegit. Convenerunt ibi (inter alios) Matthæus Laonensis, Thomas Limericensis, Ioannes Artfertensis, & Gulielmus Clonensis & Corcagensis Episcopi. Statuta verò quæ ibidem ordinata fuerunt non videntur extare. Decessit anno à plenitudine temporis 1482. Casseliæ sepultus.[t] Biennio ante mortem, Vicariorum choralium Collegio, quædam in urbe Clonmellensi contulit.

[r] *Act Parlament 35. Henr. 6.*

[s] *In Rot chattar. an. 2. & 3 Phil. & Mar.*

[t] *Inq. Scac*

E David

David Creagh.

DAvid Creagh Iuris utriusque Baccalaureus, patriâ Limericensis, in Archiepiscopum consecratus est 1483. De injuriâ illi factâ per Geraldum fitz-Gerald comitem Kildariæ, (virum licèt spectatæ fortitudinis, rigidum tamen & præferocem) ac de quærimoniâ quam instituit apud Regem (Henricum Septimum) suasu Iacobi de Ormond equitis aurati, quandoque Hiberniæ Quæstoris, (sed irritô labore) adeas Hiberniæ Historiam ab Edmundo Campiano descriptam. David hic bienniô postquam rediJt, quinto nempè Septembris M.D. III. fatô functus est, exactis in hac sede annis xx.

Mauritius.

MAuritius quidam (quibusdam Mauritius Iones) decessit (ut aliqui perhibent) M. D. XXIII. Alij vitam ejus longiùs

longiùs producunt, & obijsse dicunt sub exitum anni (à xxv. Martij deducti) M.D.XXVI. His ego quidèm assentior: siquidem Casseliæ, in Ecclesiâ sancti Ioannis, tumulum *Philippi VVale civis Casseliensis, qui obijt 21. Decembr.* M.D.XXVI. vidimus sic inscriptum. *Mauritius cassel. Archiepiscopus concessit cuilibet dicenti Pater, & Ave, pro animâ dicti Philippi,* XL.*dies indulgentiarum, toties quoties.* Is, vel qui Archiepiscopus fuit anno M.D.XI. Synodum eo anno Limerici coegit, celebrem sanè. Statuta ejus adjecta fuerunt Registro Thomæ Pursell Lismorensis & Waterfordensis Episcopi, (librum nigrum Ecclesiæ Lismorensis vulgò vocant) non ità pridem fortuitô incendiô combusto. Quando fuerit consecratus, me fugit.

Edmundus Butler.

EDmundus Butler in Archiepiscopum consecratus M.D.XXVII. Regi (Henrico Octavo) mox ab arcanis constituitur consilijs in Hiberniâ. Hic Prior fuit, sive Com-

mendatarius cœnobij sancti Edmundi *de Athassell*, in comitatu Tipperariæ. Prioratum verò tempore suppressionis abdicavit. Naturæ cessit sub finem anni M. D.L. nempè quinto die Martij, in Ecclesiâ suâ, (non procul à Cathedrâ Archiepiscopali) tumulatus, sub marmore, imagine ejus & insignibus ornatô.

Rolandus Baron.

DEfuncto Butlero, Rolandus Baron, (aliàs fitz-Gerald) à Mariâ Reginâ designatur successor. Ille ex antiquâ Geraldinorum familiâ Baronum (sed non Parlamentariorum) de Burn-Church in agrô Kilkenniensi ortus, consecrationem accepit anno M.D. LIII. mense Decembri. Et die 28. Octobris M.D.LXI.(qui Sanctis Simoni & Iudæ sacer) vitâ functus est. Per sexennium tunc sedes vacavit.

Iacobus

Jacobus mac Caghwell.

IAcobus mac Caghwell Cassseliensis constitutus est Archiepiscopus ab Elizabetha Regina, Anno M. D. LXVII. u Paulò pòst, à Mauritiô (agnomine) Reagh, cui nomen Archiepiscopi Pontifex Romanus contulerat, cultrô (quem *a Skeyne* dicimus) vulneratus est: quòd Provinciæ illius administrationi non renunciaret. Mauritium illum, non possum non suspicari eundem esse, quem aliqui Mauritium Gibbonum appellant, qui in Hispaniam profugiens, ibi *in civitate Portuensi mortuus est, circa annum Domini* M.D.LXXVIII. x Illo sedente, Episcopatus Emelacensis, Parlamentariâ authoritate, Cathedræ Casseliensi adjectus est; eo ipso tempore quô Episcopatus Cluanensis (sive Clonmacnoisensis) sedi Midensi fuit conjunctus. Migravit ab hac luce anno M.D.LXX.

u *De hac re vide Hooker.*

x *Act. Parla. an. 11. Eliz. c. 14. in Canc.*

Milerus al. Mulmurry Magragh.

Milerus Magragh (aliàs mac Cragh,) Franciscanus, in Fermanaghensi comitatu natus, authoritate Pontificiâ Dunensis renunciatus est Episcopus. Cùm verò religionem reformatam professus esset, ad sedem Clogherensem per Elizabeth. Reginam translatus est VIII. Septemb. M.D.LXX. unde, propter continua bella, parùm aut nihil emolumenti percepit. Cæterùm hodiè valet annuatim Episcopatus iste, per munificentiam Divæ memoriæ serenissimi nuper Regis Iacobi, plusquam D.CC. libras Anglicanas. Caghwello defuncto, designatus est successor 3. Februarij M.D.LXX. Posteà sedem Lismorensem vacantem M.D.LXXXII. (Elizabeth. Reginæ concessione,) Casseliensi adjunxit; eâ demùm relictâ, & post obitum Thomæ Wetherhed, denuò susceptâ, posteàque relictâ, duos in Conacia Episcopatus Alladensem, scilicet & Achadensem assumpsit (ut loquimur)

in

in Commendam, quos ad mortem usquè retinuit. Decessit Cassliæ propè centenarius mense Decembri M.DC.XXII. cum per biennium grabbato affixus, jacuisset. Monumentum habet è regione Butleri, à se dum viveret, conditum. Præfuit huic sedi 10. menses ultra annos LI.


Malcolmus Hamiltone.

MAlcolmus Hamiltone Scotus, Cancellarius Dunensis, unà cum Archibaldo Hamiltone Alladensi, Pontanæ (in Ecclesiâ sancti Petri) consecratus est, penultimo Iunij M.DC.XXIII. Annoque insequenti Consiliarijs Regijs annumeratus. Subsunt hodiè huic Archiepiscopatui VII. sedes Episcopales, viz.

1 *Laonensis.*
2 *Limericensis.*
3 *Clonensis, & Corcagensis.*
4 *Artfertensis*
5 *Lismorensis, & VVaterfordensis.*
6 *Rossensis.*
7 *Fenaborensis.*

De

De Emelacensi taceo; Nam (quod aliàs dixi) illa sedes ante annos jam LVIII. huic Cathedræ conjuncta est & adunata.



ARCHIEPISCOPI TVAMENSES.

AD Tuamenses venio. Primus hujus sedis Episcopus, fuit sanctus Iarlathus, qui Tuamam (jam olim Tuaim-dagualan) æde sacrâ, in primis surgentis Hibernicæ Ecclesiæ temporibus, ornavit. Vnde in vitâ sancti Brendani, Tuama, *Civitas sancti Iarlathi*, appellatur. Extant sub ejus nomine vaticinia quædam, de successoribus suis; sed quam fidem mereantur, judicent alij. Ab illo, usquè ad Edanum O Hoissin primum Archiepiscopum, memoria Præsulum hujus sedis, perexigua superest. Sex memorantur in Annalibus nostris. Primus est, Murchadus O Nioc (quem *Comorbanum* appellant *sancti Iarlathi.*) Is obijt anno 933. Secundus, Eugenius mac Cleirig, obijt 969.

Tertius, Ercadus O Mælomair, qui decessit M. LXXXVI. Quartus, Cormacus O Cairill, qui fatô functus est M. XCII. Quintus est, Catazacus O Cnail, cujus obitus ad annum refertur M. C. XVII. Sextus est, Mauritius (sive Muredacus O Dubhay) qui diem obivit [a] *in festo sancti Brendani* anno M. C. L. ætatis, LXXV. Congæ sepultus: in Monasterio ibidem, quod Anno Christi [b] DC. XXXV. Donaldus, filius Hugonis (Amyrachi nepos) Rex Hiberniæ condiderat. Hos, scriptores nostri Conaciæ Episcopos (interdùm Archiepiscopos) appellant.

a *Annal. Prierat. Insulæ omniū sanct.*

b *Registr. Cong.*

Edanus O Hoisin.

DEfuncto Dubhaio, successit Edanus O Hoisin, qui anno M. C. LII. Pallium [c] Mellisonte accepit. Assignatis ei septem suffraganeis, Elphinensi scilicet, Clonfertensi, Alladensi, Achadensi, Duacensi, * Maionensi & Enaghdunensi, quibus alij (perperàm opinor) Roscomanensem addunt. Edanus hic

c *De hac re vid. pag. 3.*

* *Sedes Maionensis & Enaghdu. hodie Tuamensi cōiunguntur.*

hic anno M.C.LVIII. Synodum coegit Roſcomaniæ (ita à ſancto Comano denominatæ, qui ibi deceſsit,[d] 744.) in quâ [e] *multa bona decreta ſunt.* Naturæ ceſsit [f] M.C.LXI. Homo propter pietatem, eruditionem, & liberalitatem, apud Hiſtoricos noſtros celeberrimus. Eodem quô mortem obijt anno, Rodericus O Conner, Rex Conaciæ caſtrum Tuamæ dicitur conſtruxiſſe, quod ijs temporibus caſtri mirifici nomine innotuit.

d *Annal. Conac.*
e *Lib. Inſul. omnium SS.*
f *Ibid.*

Catholicus O Dubhay.

CAtholicus (vel Cadla) O Dubhay ſucceſsit, vir gravis, & (ut illa ferebant tempora) eruditus. Illius præſertim operâ & interceſsione, Rodericus ille O Conner (de quô ſuprà) in gratiam Henrici Secundi, Regis Angliæ receptus eſt, M.C.LXXV. Hujus concordiæ exemplar (ſi cui libet perlegere,) apud Rogerum de Hoveden habetur in hiſtoriâ ejuſdem anni. Anno poſteà [g] 1179. Vnà cum Laurentio Dubliniensi, Conſtan-

g *Conſul. notas Ioan. Picardi in Gulíel. Nubrigẽſem. Vide porrò Roger. de Hoveden.*

tino Laonenſi, Bri&tio Limericenſi, Auguſtino Waterfordenſi, & Fœlice Liſmorenſi Præſulibus, ad Concilium generale Lateranenſe miſſus eſt. Grandævus is obijt Congæ, Anno Domini M. CC. I. Sub Pontificatus illius initium urbs Tuamenſis incendiô fortuitô conflagravit. Ante obitum anno uno vel altero, Gulielmus de Burgo (digreſsioni ignoſcite) Conaciam aggreſſus eſt; cujus maximam partem poſteà ſubegit. Dominium, is reliquit filio Richardo, qui obijt M. CC. XLIII. Richardo ſuccesſit Walterus; cujus poſteros ennumeravit doctiſsimus Camdenus.

Ruadanus.

RVadanum (ſive O Ruadan) à quodam Melihû O Conner captum fuiſſe 1217. docent Annales Vltonienſes; ſed nec proprium nomen exprimunt, nec captivitatis cauſam. Extat illius teſtimonium (ut ex temporis calculô conſtat,) de unione Dioceſium Dublinienſis & Glendelacenſis, in nigrô

Codice

Codice Eccleſiæ ſanctæ Trinitatis Dublin. Habetur etiam folio 56. Regiſtri (diligentiſſimi illius Antiquitatum inveſtigatoris) Ioannis Alani Archiepiſcopi Dublinienſis; quem avorum memoriâ crudeliſsimè necavit Thomas Geraldides, Comitis Kildariæ filius. Circa hæc tempora (ni fallor) Epiſcopatus Maionenſis Tuamenſi Cathedræ adunatus eſt. De obitu Ruadani, nihil habemus certi.

Fœlix.

FOelicem antedictum, Monachum (puto) Ciſtercienſem, conſecratum fuiſſe, Anno Domini M.CC.XIX. ex diplomate ejus colligimus, Abbatiſſæ de *Caſtâ Silvâ* (ſive Kilcreventa) conceſſô, datô *in matrice Eccleſiâ de Tuaim* 12. *Kal. Iulij Pontificatus D. Honorij Anno ſeptimo* (i. Anno ſalutis 1223.) *Conſecrationis ſuæ quinto.* Cujus quidem diplomatis exemplar, in [h] Archivis Regijs reperitur. Deceſsit Fœlix Dublinij, Anno Domini M.CC.XXXVIII. Ad quem annum, ſic Annales

[h] *Com. Plac. an.* 1. *Ed* 2. *in arce Dublin.*

nales Monasterij Beatæ Mariæ Virginis juxta Dublin. *Obijt piæ memoriæ Dom. Fælix, Tuamensis Archiepiscopus, qui cooperiri fecit Ecclesiam, cum campanili domus Beatæ Mariæ juxta Dublin plumbo; & sepultus est honorificè, in eadem Ecclesiâ, in presbyterio, ad gradum altaris, in sinistra parte.*

Mulmurre O Laghnan.

SVccessit Mulmurre (qui etiam Marianus dictus est) O Laghnan, Iuris Pontificij peritissimus. Hic peregrinationem religionis ergo, Hierosolymam usquè suscepit. Obijt [i] Athlonæ M. CC. XLIX. paulò ante festum Natalis Domini. Monasterio de Knockmoy (aliàs *De Colle victoriæ*) appropriavit Ecclesiam de Kilfelge.

i *Chro. Loghkeense.*

Florentius mac Flin.

FLorentius mac Flin (aliàs mac Floyn) mortuo Laghnano in Archiepiscopatu

(à Ca-

(à Canonicis Tuamensibus legitimè electus) successit; Anno M.CC.L. consecratus. Anno deindè sequenti Synodum Tuamæ celebravit. Florentius hic, *post mortem Thomæ O Maley Episcopi Enaghdunensis* (ex [k] Archivis loquor) *intravit in Episcopatum Enaghdunensem, sede vacante; de licentiâ Canonicorum Enaghdunensium: & retinuit toto tempore suo, temporalia & spiritualia dicti Episcopatus.* Mortem is oppetijt M. CC. LV. vel (ut alij) M. CC. LVI. Hunc propter eruditionem Iurisque peritiam non vulgarem, laudant Annales Vltonienses.

k *Placit. an.* 34. *Ed.* 1.

Walterus de Salern.

A Rege (Henrico Tertio) tunc Archiepiscopus designatus est. [l] Walterus de Salern. Decanus Ecclesiæ sancti Pauli Londinensis: Fortè, Salerni in Italiâ vel natus, vel educatus; nam indè cognomen sumpsisse videtur. Mortem obijt Anno Christi 1258.

l *Chron. Cœnobij Loghkeensis.*

Thomas

Thomas (mac Tirlagh mac Melaghlin) O Conner.

EPiscopatu Elphinensi per mortem Donati O Conner vacante 1246. in successorem electus est Thomas (nonnullis Tumultagh) O Conner, filius Terentij, Malachiæ nepos, in Archiepiscopum tandem electus, Romam itinere suscepto, ibi Palliô à Pontifice ornatus est, 1259. Post reditum, magna lis exorta est inter ipsum & Redmundum Prindergast, quocum dùm contendit, servorũ aliquot à Prindergastianis Kilmethonæ, (Manneriũ fuit Archiepiscopatus) sunt interrempti. Hæc anno 1265. Constat ex chartis Monasterij Knockmoiensis (in agrô Galviano) à Waltero Lang, olìm Diocesis Tuamensis notariô publicô consignatis, (quas Manuscriptas habeo) Thomam hunc *de communi consilio & assensu totius Capituli, necnon de voluntate & assensu Roberti Cocofel Domini de Idermada* appropriâsse cœnobio antedicto Rectoriam de Idermada (*post mortem Magistri*

ſtri C. tunc Rectoris.) Cæterum nomen loci mutatum videtur: Nam in Archivis Regijs (quę penes nos ſunt) iſtius Rectorię, non reperi mentionem. Tuamæ deceſsit ſecundum Annales Loghkæenſes, 1279. quùm huic ſedi ſimul ac Enaghdunenſi præfuiſſet annis xx. vir, ob eruditionem cæteraſque animi virtutes eo munere non indignus. Per aliquot deinde annos ſedes vacavit.

Stephanus de Fulburne.

SVcceſsit Stephanus de Fulburne: [m] *ordinis Hoſpitaliorum.* In Epiſcopum Waterfordenſem conſecratus eſt anno 1274. (& Hiberniæ Theſaurarius eodem anno conſtitutus.) Inde poſt decennium, Tuamam transfertur. Sed temporalium non accepit reſtitutionem ante 15. Septembris, Anno 14. Edward. 1. hoc eſt, Anno Chriſti 1286. atque tunc una cum Tuamenſi, Epiſcopatum inſuper tenuit Enaghdunenſem. Dum adhuc Epiſcopus eſſet Waterfordenſis, anno nempè

m *Annal. Io. Clynne.*

1279. constitutus est Hiberniæ Iusticiarius, annoque insequenti Iusticiariatu cessit, sed illum locum (ejurante Roberto de Vfford) denuò suscepit 1281. Cessit è vitâ anno 1288. mense[n] Iulio, Dublinij in Ecclesiâ Cathedrali sanctæ Trinitatis sepultus. Ecclesiæ Glastoniensi in Angliâ hìc 100. dierum indulgentias, concessisse dicitur.

n *Mortilog. sive lib. obituũ eiusdem Ecclesiæ.*

Gulielmus de Birmingham.

GVlielmus de Birmingham successit Ecclesiæ Admorwiensis Rector, in Annalibus nostris Gulielmus *mac Feoris* dictus, quod cognomentum, sumpsit tota familia Birminghamiorum (Hibernorum more:) à Petro vel Piertio de Birmingham, cui magnę possessiones in hoc tractu, munificentijs Gulielmi & Richardi de Burgo senioris, Dominorum Conaciæ, obtigerunt. Statim ut consecratus (sicut antecessores,) Ecclesiam Enaghdunensem adhuc vacantem, Tuamensi adjunxit. Illius etiam (ut videtur) consiliô,

consiliô ° *Philippus le Blound Archidiaconus Tuamensis, Mitram, baculum Pastoralem, & alia Pontificalia Episcopi Enaghdunensis, reposita in domo fratrum apud Clare; quousque novus Episcopus creatur, abstulit.* Cæterum anno 1306. in Episcopum Enaghdunensem (Archiepiscopô quantumvis invitô.) Consecratus est Gilbertus quidam Franciscanus, cùm sedes illa per annos 55. à Commendatarijs administrata esset. Anno tùm 1307. Birminghamus in Gallias trajecit, ut de injuriâ sibi illatâ apud Pontificem conquestus esset: sed irritô labore. Mortem obijt mense Ianuario 1311. (stylo Anglicano) consecrationis anno XXI.

° *Plac. 25. Ed. 1. in turri Birminghamiano.*

Malachias mac Æda.

MAlachias mac Æda, sive filius Hugonis, Papali Bullâ, Elphinensis renunciatus est Episcopus, circa annum Domini M. CCC. IX. quamvis Carolus mac Iulianay Abbas Loghkæensis legitimè fuerit electus. Vnde Carolus Loghkæam redire coactus,

 ibidem

ibidem Abbas interijt M. CCC. XLIII. Malachias exiguo tempore cùm Elphiniæ præfuisset, à Canonicis Tuamensibus electus est Archiepiscopus, & à Papâ probatus, sub initium anni M. CCC. XIII. Repetijt hic Ecclesiam Enaghdunensem, & ante obitum per annos viginti administravit: postquàm nimirum sedem illam annos (plus minus) XXII. tenuissent Gilbertus (de quô supra) & tres ejus successores quorum nomina sequuntur, viz. Iacobus O Kerny qui ad Ecclesiam Connerensem translatus est, Anno M. CCC. XXVI. Robertus Petit Minorita, Episcopus anteà Clonfertensis, Is, tēpore præfuit perquàm exiguo, ut & ejus successor Thomas O Maley, qui Avenione obijt, secundum Annales Loghkæenses, M.CCC. XXVIII. Malachias ex hac vitâ migravit (admodùm senex) p *Anno Domini*, M.CCC.XLVIII. *in festo sancti Laurentij martyris*. Tuamæ, in Ecclesiâ Cathedrali beatæ Mariæ tumulatus. An hic fuerit nec ne Malachias ille; de quo loquitur Possevinus, in Apparatu sacro, non definio. Audiamus verba ejus; *Malachias Hibernicus* (inquit) *ordinis*

p *Annal. Nenaghtens.*

dinis Minorum, Theologus, scripsit libellum de veneno peccatorum mortalium, deque remedijs ipsorum, Parisijs prodijt, M. D. XVIII. *ex Officina Henrici Stephani,*&c. *vixit* M. CCC.X. At Malachiam illum non ordinis Minorum, sed Prædicatorum, facit Antonius Senensis in Catalogo scriptorum sui ordinis. Hujus libelli Malachiæ meminit quoque *Ioannes Garesius, in libro de sacro corpore & sanguine Christi.* Ego sanè (si conjecturæ venia) non possum non hìc intelligere Malachiam filium Hugonis; Patitur temporis ratio; invitat nomen.

Thomas O Carroll.

HAnc sedem tunc Papa per provisionē contulit Thomæ O Carroll vel mac Carwill Archidiacono Casselienſi.[q] Is à Canonicis tam Cluanensibus quam Artfertēsibus, in Episcopum quandoque postulatus fuerat; sed utrasque electiones de illo factas, vel ipse rejecit, vel Papa irritas pronunciavit: nam

q *Ibidem.*

nam certum est eum nunquàm illis sedibus præfuisse. Verùm annô post mortem Malachiæ nondùm exactô, Tuamensi Ecclesiæ (uti diximus) ingeritur à Papâ. Hujus tempore, anno videlicet M.CCC.LVI. quidam Carolus Oge (sive juvenis) & filius Gulielmi de Burgo Tuamam diripuerunt & incenderunt. Ecclesia Cathedralis, Hospitale sancti Ioannis Baptistæ & [r] Monasterium Canonicorum Ordinis Præmonstratensium sanctæ Trinitati dicatum, eodem incendiô conflagrarunt. Ad Ecclesiam Casselienſem per P.R. translatus est M.CCC.LXV. circa solstitium æstivum, ad quam semel antè, Canonicè electus dicitur. Hunc, *virum magnæ sufficientiæ*, appellat author Annalium Nenaghtensium.

[r] *Filia Steinfeldiæ in Poloniâ vid. Aub. Miræi Chron. ord. Præmonstraten. ubi tamē post verba* Abbatiam S. Trin. Tuam. *dele*, quæ postea facta est Ecclesia Episcopalis.

Joannes O Grada.

POst translationem Thomæ O Carroll, Ioannes O Grada Archideaconus Casseliensis, illicò Archiepiscopus electus est, Tuamensis, eodemque anno consecrationem

Avenio-

Avenione impetravit. Hunc, Rex Temporalibus (ut loquimur) reſtituit, 19. Iulij 1365. Sedit annos VI. & obijt M.CCC.LXXI. non 1367. ad quem annum, *Archiepiſcopum Tuamenſem virum liberalem* deceſsiſſe perhibent Annales Vltonienſes, ſed nomen ejus non edunt.

Gregorius.

GRegorius ab alia (neſcio quâ) ſede hùc tranſlatus eſt M.CCC.LXXII. Parlamentum Triſteldermoti habitum 1377. is cùm ſummonitus nō acceſſerit, centum libris Monetæ noſtræ (.i.LXXV.lib.Monetæ Anglicanæ,) mulctatus eſt. Deceſsit anno 1384. menſe (ut videtur) Decembri. Per mortem ejus Temporalia Archiepiſcopatus (ut in veteri [f] *Eſcaetoris computo* legitur) *in manus Domini Regis ſunt capta, decimo quinto die Decemb. An.8. De quibus tamen Eſcaetor nihil reſpondit, quia propter viarum diſcrimina inter Anglicos & Hibernicos, nemo auſus eſt dictos redditus colligere.* Hæc eo libentiùs Lectori viſum eſt exhibere, ut

[f] *Ex comp. Eſcaet. ann 9. Ric 2. in turri Birming.*

ut inde initia defectionis Conacianæ possint notari.

Gregorius O Moghan.

GRegorius O Moghan, vel O Moccan, in scismate ab Antipapâ Clemente VII. Archiepiscopatum Tuamensem obtinuit; sed paulò post, ab Vrbano VI. exauthoratus, in ejus locum ascitus suffectusque est Gulielmus O Cormacain. Gregorius ille M. CCC. XCII. mœrore (ut creditur) confectus interijt: Vir fuit alioqui, si Annalibus credimus Loghkæensibus, valdè sanctus & devotus.

Gulielmus O Cormacain.

DEprivato (uti diximus) Gregorio, substitutus est Gulielmus O Cormacain. Is per biennium, [c] à Gregorio illo & Mauritio Clonfertensi multa passus est. Mortem obijt Anno, M. CCC. XCIIII..

[c] *Arch. Canc. An.* 13. *Ric.* 2.

Moriertagh

Moriertagh O Kelly.

GVlielmũ sequutus est Moriertagh O kelly, cujus eruditionem, prudentiam, & erga egenos munificentiam, laudant Annales Loghkæenses. Tuamæ decessit, anno M.CCCC VII. in festo sancti Michaelis Archangeli, consecrationis suæ XIII. & in Ecclesiâ suâ Cathedrali sepultus est.

Joannes Baterley.

IOannes quidam Archiepiscopus fuit (ut ex Archivis Regijs intelligi potest) annis M.CCCC.XXVII. & M.CCCC.XXXIII. Ioannes ille Baterley (ut opinor) de quô sic [u] Ioannes Pitseus. *Ioannes Baterleius ordinis Prædicatorum sancti Dominici, Doctor Theologus, natione Anglus; Postquàm sacram Theologiam Professor diù docuisset, concionibus studuit, & insignis divini verbi præco evasit, quippe qui non modò ad populum, sed etiam ad regni principes & proceres*

[u] *In appendice illustr. Angliæ scriptor. Vide porrò Io. Bal. centur*

proceres è ſuggeſto frequentèr ſolemnes habuit conciones. Duce igitur partim virtute & doctrina, partim etiam principum virorum favore, ad Archiepiſcopatum Tuamenſem in Hibernia ſublimatus eſt. Hunc ferunt in utraque literaturâ, ſacrâ ſcilicet & profanâ, varias edidiſſe lucubrationes, ſed in externâ regione mortuo auctore, mortua quoque per incuriam ſunt opera, ut ne ſcrupulus (quod ſciam) inveniatur, nec tempus ipſum quô viguit cognoſcatur, &c. Hactenus Pitſeus. Athenriæ in cœnobio ſui ordinis ab aquilonari parte ſummi altaris (ubi imaginem Pontificis palliô ornati, monumento parieti indito, inſculptam vidi) tumulatum conijcio. Iam indè uſque ad tempora Henr. VIII. vix nomen alicujus Archiepiſcopi Tuamenſis, in Archivis Regijs reperitur. Nullis Eſcaetis (ut loquimur) vel redditibus è Conaciâ, toto eo tempore, fiſco regio illatis. Nam ad tempora jàm perventum, queis Hibernia noſtra quaſi diluviô quodam inundata calamitatum, rebellionibus, homicidijs, egeſtate, barbarie, pluſquàm intabeſcuit.

Thomas

Thomas O Kelly.

THomas O Kelly, vir (ut Annales testantur Insulæ omnium sanctorum) tàm pietate quàm liberalitate insignis, obijt Anno M. CCCC. XLI.

Ioannes Secundus.

ILli successit Ioannes quidam, sub exitum anni M. CCCC. XLI. consecratus. Sed quando obierit, mihi incompertum.

Donatus Imirdle.

IOanni successit Donatus Imirdle, sicut in veteri tabulâ × Monasterij Ballintobberensis (quod Carolus O Conner, à rubrâ manu, vulgò Crovederg cognominatus, fundaverat M. CC. XVI.) traditum reperi. Vbi etiam appropriationes à Ioanne decessore, eidē cœno- × *Al. de fonte S. Patricij.*

bio factas confirmasse dicitur. Vixit Donatus XXIIII. Aprilis, M. CCCC. LXI. ad quem

y Ex registro Io. Bole Archiepisc. Arm.

y eo die literas perscripsit Ioannes Bole Archiepiscopus Armacanus, sicuti & ad Elphinensem, Clonfertensem, Duacẽsem, Alladensem & Achadensem Episcopos, quibus innuit, se paulò pòst, Provinciam Tuamensem visitaturum, sed an visitaverit, non constat. Certè asserunt sibi Archiepiscopi Armacani, in cæteris provincijs, septennialem (ut vocant) visitationem.

Gulielmus III.

z Fol. 226.

GVlielmus Ecclesiæ Tuamensi præfuit, Anno Domini, M.CCCC.XCIIII. z ut ex registro Octaviani de Palatio Archiepiscopi Armacani, patet. Vbi appellatio quædam ab illo, ad Octavianum memoratur. Posteà XII. Iulij, M.D.VIII. sedem constat vacasse, forte illius morte:

a Ex dicto registro.

a Nam tertio insequẽtis Septembris, jam dictum Octavianum, literas dedisse comperi, ad electum Tuamensem,

ſem, (cujus nomen tamen non editur) in quibus rogat, ut *Malachiam O Clowan*, *eodem die à ſe, aſsiſtentibus Iacobo* Mahonide *Derenſi*, *ac Eugenio* mac Camail *Clogherenſi Epiſcopis*, *in Eccleſiâ parochiali ſancti Feighini de Termon-feighin*, in Epiſcopum Alladenſem conſecratum, confirmaret.

Mauritius de Portu.

MAuritius de Portu (vel O Field, nam ſic etiam appellatum comperi.) Natus eſt, ut fertur, in Comitatu Galviano, educatus autem Paduæ in Italiâ, ubi ſacræ Theologiæ Doctor creatus, poſt paucos annos, à Iulio Secundo, huic Archiepiſcopatui ingeritur. Vir fuit haùd dubiè doctus, quod opera ejus abundè teſtantur. Hujus, magno cum honore, meminit Ioannes Camers.[b] *Annis* (inquit) *ab his proximis excelluit, ex Hiberniâ oriundus, Mauritius à Portu, D. Franciſci ordinis profeſſus, in Dialecticis, utrâque Philoſophiâ, Metaphiſicis, ac ſacrâ Theologiâ, plurimùm* *eruditus:*

[b] *In* 35 *cap. Solini.*

eruditus: vix insuper dici potest, quâ humanitate, quavè morum sanctimoniâ, præditus fuerit. Is, cùm annis plurimis in Patavino Gymnasio, bonas artes docuisset, cum summâ omnium gratiâ, ob ejus singularem eruditionem ac candidissimos mores, à Iulio Secundo Pontifice maximo, in Tuamensem Archiepiscopum creatus est: Quò, cùm relictâ Italiâ, bellis in eâ sævientibus, proficisceretur, non multùm post, magna studiosorum jactura, cùm nondum 50. ætatis suæ attigisset annum, mortem obijt. Erant plurima suæ doctrinæ in manibus monumenta, sed ea ob immaturam ejus mortem edere nō licuit. Quantum fuerit inter eum, dum viveret, & me necessitudinis vinculum, testantur sexcentæ epistolæ, quas plenas charitatis indicijs, varijs temporibus ad me dedit. Eis (quanta veræ amicitiæ vis) post amici obitum, relegens soleo assiduè recreari. Hactenus Camers. De operibus ejus, jam [c] Antonium Possevinum paulisper audiamus. *Mauritius Hibernicus Ordinis Minorum, quem fuisse scribunt Archiepiscopum Tuamensem, composuit Dictionarium sacræ Scripturæ, quod primò editum est illustrissimo Matthæo Zane Veneto Patriarcha jubente, Venetijs*

[c] *In apparatu sacro.*

tijs

tijs Anno, M.DC.III. * apud Ioannem Antonium & Iacobum Franciscum, &c. Quin & cum notis, sive ut vocant, Postillis sive Commentarijs, universam Ioannis Scoti doctrinam exposuit; Quæ præsertim in quæstiones Venetijs prodierunt, Anno, M.D. apud Simonem de Luere. Ejusdem item Theoremata, de mente Scoti, ibidem apud Lazarum Soardum, Anno M. D. XIIII Enchiridion. a. fidei anteà, hoc est Anno MD.IX. exierat ex Officinâ Octaviani Scoti. Sed & Scoti scriptum Oxoniense ad 4. libr. Sententiarum, Lugduni, Iacobus Mit emisit. cùm Ioannes Gracius, Parisijs ejusdem Reportata, Biennio anteà, hoc est, M. D. XVIII. edidisset. Sed & fertur Mauritium eundem scripsisse vitam Ioannis Scoti, & Librum Distinctionum, qui d Ravennæ apud Franciscanos asservatur, & Compendium veritatum 4. Libris, (& quidem carmine Leonino) asserit Henricus Villot, in verbo, Mauritius de Porta. Interfuit Mauritius noster, Anno M.D.XII. duabus primis Sessionibus Concilij Lateranensis; Nam invenitur ejus nomen in subscriptionibus Episcoporum, qui in dictis sessionibus fuere præsentes. Annoque insequenti

* Habetur in Biblioth. Collegij S. Trinit. iuxta Dublin. T.10.5.3.

d Extat etiã Ms. in Bibli. Aulæ Pembrochianæ, Cãtabrig. ut constat ex Thomæ Iames catalogo Codd. MSS. in Bib. Acad. Oxon. & Cantabrig. edit. 1600.

quenti [c] postquàm facultatem indulgentias quasdam concedendi, cuilibet, Tuamæ exaudienti primam ejus Missam, à Papâ impetrasset; in patriam reversus est. Cæterum Galvidiæ sive Galviæ, ubi primùm appulit, in morbum incidit lethalem, quô ante Missæ suæ celebrationem, extinctus est.

c *Annales. Vlton.*

Thomas O Mullaly.

DEfuncto Mauritio de Portu successor designatur Thomas O Mullaly (sive Laly) qui Synodo præfuit Galvidiæ anno Domini, M. D. XXIII. Cui interfuerunt (ut de Abbatibus, &c. sileamus) Matthæus Duacensis , & Cormacus Achadensis Episcopi, Cornelius Procurator Georgij Elphinensis Episcopi , & Padinus Procurator Richardi Episcopi Alladensis. Ex Provinciâ etiam Armacanâ, Kintius (aliàs Quintinus) Episcopus Cluanensis, & ex Provinciâ Casseliensi, Mauritius Fenaborensis & Bonaventura Rossensis Episcopi. Statuta ibidem ordinata

(quod

(quod sciam) perierunt. Obijt Lalæus, Anno Domini, M.D.XXXVI.

Christopherus Bodekine.

CHristopherus Bodekine, Episcopus Duacensis, Henrici Octavi gratiâ, Tuamensem Archiepiscopatum consecutus est, anno M. D. XXXVI. mense Februario; retentô per dispensationem Episcopiô Duacensi. Annoque tandem M. D. LXXII. Archiepiscopatus sui XXXVI. plenus dierum, Tuamæ decessit. Nihil tamen toto eo tempore, (utpote homo inconstans, avarus, & temporibus semper se accommodans,) memoratu dignum præstitit. Cadaver ejus Galviam (ut accepi) delatum, ibi tumulatum est.

Gulielmus Laly.

TRibus sedibus simul vacantibus, tres Præsules uno eodemque tempore, sex-

to scilicet Novembris M.D.LXXII. ab Elizabetha Regina præficiuntur: Tuamensi Gulielmus Laly (aliàs O Mullaly) Decanus Tuamensis: Ardachadensi, Ioannes Garvey Decanus Ecclesiæ sanctę Trinitatis Dublinij, & Duacensi, Stephanus Kerovan. Gulielmus hic naturæ cessit, Anno Domini, M.D.XCV.

Nehemias Donellan.

NEhemias Donellan, natus est in Com. Galviano, educatus autem Cantabrigiæ in Anglia. In patriam reversus, Lalæi ad tempus fit coadjutor in Episcopali officio, ejusque postea (M.D.XCV.) successor. Sponte is Præsulatum deposuit 1609. Paulò pòst, ad meliorem sedem sublatus. Tuamæ sepultus est.


Gulielmus Daniell.

GVlielmus Daniell (vel O Donnell qui nunc præest) sacræ Theologiæ Doctor,

ac unus è primis socijs Collegij sanctæ Trinitatis Dublin. in hujus Ecclesiæ Archipræsulem sacratus est Anno, M. DC. IX. Eodemque anno, in numerum Regis Consiliariorum cooptatus.

Subsunt Archiepiscopo Tuamensi, 5. Episcopatus.

1 Elphinensis.
2 Clonfertensis.
3 Alladensis, vulgò *Killalla*.
4 Achadensis, vulgò *Achonry*.
5 Duacensis, vulgò *Kilmacogh*.



COENOBIA CISTERCIENSIA HIBERNIÆ.

Monasterium beatæ Mariæ Dublin.



1139. E primo conditore varię invaluerunt opiniones. Privata hujus Cœnobij historiola tanquam fundatores nobis obtrusit *Malachiã* (aliàs *Melachlin*) *Regẽ Midiæ & Monarcham Hiberniæ, Gillemoholmoc* nescio quem, *& Roisiam uxorem ejus.* Constructionis caussam ibi memoratam, sciens omitto, quippè quæ

quæ fabulæ similior est, quam veræ historiæ; quod planè perspiciet, qui eam narrationem perlegerit, & sani judicij lance perpenderit. Nonnulli Danos posuisse tradunt, Anno salutis D.CCCC.XLVIII. Cæterùm diploma Edwardi Quarti Regis Anglię (cui fidem habeo) fundatũ prodit à Donaldo Gillemoholmoc, à quô genus ducunt *O Tothili* (sive O Tooli) *cum assensu* (uti verba sunt chartæ,) *Dervorgiliæ uxoris & Dermitij Primogeniti.* Cœnobium hoc quod prima institutione Benedictinum erat, in Cisterciẽse transmutatur, (si Annalibus ejusdem cœnobij credamus.) Anno Domini, 1139. Hujus annui census, tempore suppresionis, secundum rationes fiscales valebant 562. lib.6.sol.11.den. *ultra reprisas*.

Mellifons.

MEllifons, insigne olim Monasteriũ in agrô Louthianô, fundatur à Donato O Carroll Vrielis, sive Ergalliæ regulo, suasu sancti Malachiæ O Mongair Du- 1142.

 nensis

nensis Episcopi. Monachis illud implevit Divus Bernardus è cœnobio suo Clarevallensi. Abbate illis præposito Christiano O Conarchy (posteá Lismorensi Episcopo.) Illi successerunt hi qui sequuntur.

Patricius.

Mælisa *filius Episcopi mac Mail-ciaran*. Episcopus Clochorensis M.C. XCIIII.

Thomas.

Carus posteà Episcopus Achadensis. ob.1226.

Michael.

Gulielmus Brian.

Thomas O Henghan.

Radulphus O Hedian.

Nicholaus de Lusk.

Reginaldus Leynagh obijt xv. August. 1368.

Ioannes Ferrour.

Ioannes Loggan.

Henricus

Ioannes Warren.

Ioannes Troy.

Thomas Harvey, obijt xx. Martij, 1525.

Richardus Conter Abbas (sub Henrico Octavo) tempore suppressionis.

Nunc

Nunc habitatio eſt Dom. Geraldi Moore, quem primùm Iacobus Rex, titulo *Baronis de Mellifont*, & poſteà *Vicecomitis de Drogheda* exornavit.

Newry.

MOnaſterium Nevoracenſe (aliàs de viridi ligno) in Comitatu Dunenſi, in honorem Beatæ Mariæ & ſancti Patricij fundavit ſanctus Malachias Dunenſis Epiſcopus, circa annum M. C. XLIIII. Hanc Abbatiam Henr. VIII. in Eccleſiam convertit collegiatam, Ioanne Prowte ultimô Abbate, primo novæ illius fundationis *Gardianô* conſtitutô. Cæterùm, poſt novem annos ſuppreſſa eſt, & Nicholao Bagnall militi tunc temporis *Hiberniæ Mareſcallo* conceſſa. Hoc Monaſterium idem erat (ni fallor) quod Divus Bernardus in vitâ Malachiæ, aliô quaſi ſub ſole locat, & Monaſterium Ibracenſe appellat. 1144.

Boyle.

Boyle.

1148. MOnachos Buellienſes, ſedem quatèr mutâſſe conſtat. Habitatio prima, eis aſsignata eſt Grellechdinæ, 1148. ubi primus præfuit Abbas Petrus O Morda. Illi defuncto, ſubrogatus eſt Hugo O Maccain, qui Dromconaidam migravit. Mauritius O Dubhai proximus ejus ſucceſſor, cùm Dromconaidæ nondùm tres annos ſediſſet, Monachos primùm Buinfiniam, deinde poſt duos annos & ſex menſes, Buelliū (in comitatu Roſcomanenſi) tranſtulit, anno ſecundum librum Buell. M. C.LXI. ſecundum alios, perperàm, M C.LI. Mauritius ille, deceſsit, 1175. Buellij ſepultus. Monachos hoſce alumnos fuiſſe Cœnobij Mellifontani, innuere videtur Regiſtrum Octaviani Armachani Archiepiſcopi, ubi fol. 137. *Buellium filiatio* appellatur *Mellifontis.*

Athlone.

Athlone.

IN ea parte Athlonæ, quæ agri censetur 1150.
Roscomanensis, Monasterium erat sanctis Petro & Benedicto dicatum; idem (puto) quod aliqui *Monasterium de Benedictione Dei* vocant, *fundatum*, M. C. L.

Baltinglas aliàs *de valle Salutis.*

HOc Monasterium Cisterciensibus po- 1151.
suit Dermitius, filius Murchardi, Rex Lageniæ, Anno Domini, 1151. Is Fernæ decedens M.C.LXXI. in Canonicorum cœnobiolo, à se ibidem fundato, est conditus. Post suppressionem, Monachis exturbatis, Henricus Octavus, plurimas hujus possessiones cum titulo Vice-comitis *de Baltinglas* cōcessit Thomę Eustace Baroni *de Kilcullen*, cujus è filio, nepos, Iacobus, scelerata suâ in principem & patriam perfidiâ, omnibus honori-

bus & possessionibus excidit. Sedet ad Slanum fl. in agrô Wickloensi.

Bectif.

1151. ALijs XIIII. *Ianuarij* 1164. *fundatur monasterium de Bectif aliàs de Beatitudine*, quod ad Boinum sedet in com. Midiæ. Fundasse & dotasse perhibentur O Melachlini Midiæ Reges. Hîc aliquandiù sepultum fuit corpus Hugonis de Lacy, Midiæ expugnatoris; ossa posteà (M.CC.V.) Dublinium translata, in cœnobio ibidem, quod Thomas-court vulgò appellatur in novum tumulum sunt illata.

Nenay.

1151. NEnay antiquitùs Magio, Monasterium Maio fluuio appositum, in comitatu Limericensi, fundatum legitur, anno à Christo Domino in salutem misso,

M.C.LI.

M. C. LI. Monachorum terras & possessiones, scilicet, *Kinalmekan, in quâ situm est Monasterium, Atherokan, &c.* Ioannes Rex Angliæ confirmavit: ut ex chartâ ejus datâ *primo Novembr. anno regni secundo,* constat.

Odorney.

ODorney aliàs Kyrieleyson in comitatu Kerriensi, fundatur anno Domini, M. C. LIIII. In hoc, sepultus est (1186.) Christianus, illustris ille Præsul Lismorensis, *quondam legatus Hiberniæ, æmulator virtutum* (inquit Author anonymus annalium nostrorum) *quas viderat, & audierat à sancto Patre suo Bernardo, summoque Pontifice viro venerabili Eugenio, cum quô fuit in probatorio, apud Clarevallem.* 1154.

Monasterium sanctæ Crucis.

HOc Monasterium ad Surium sedet, in comitatu Tipperariæ. Amplum sanè, 1169. *Vel circiter.*

ac olim proculdubiò illuſtre, ob partem Crucis Dominicæ ibidem ut ferunt, aſſervatam. Conſtruxit magniſque redditibus, locupletavit Donaldus O Brien Rex Limericenſis. Dotationem confirmavit *Ioannes Dominus Hiberniæ, & Comes Moretoniæ*, (poſteà Rex Angliæ) *pro ſalute animæ meæ* (ſic ſe habent verba chartę) *& meorum anteceſſorum & ſucceſſorum, nec non pro animabus militum meorum qui ibi jacent*, &c. *Teſtibus Albino Fernenſi Epiſcopo, Io. de Curcy, G. de Angulo, &c.* Clauſtrum nitidiſsimum Eccleſiæ adjunxit Dionyſius O Congail Abbas. Sicut inſcriptio ibidem teſtatur.

Fermoy.

1170. FOrneſsia, Ciſtercienſe Angliæ Cœnobium, à V. C. Gul. Camdeno, in Lancaſtriâ, *mater* appellatur *plurimorum monaſteriorum in* Manniâ *& Hiberniâ*: nec immerito, ſiquidem Hibernia noſtra (ut de Mannia taceam) quaſi filias agnoſcit Fermoiam hanc

hanc, in comitatu Cork, Inis (sive Insulam) in comitatu Downe: Corcumroth in comitatu Clare, & Inislawnaght in comitatu Tipperariæ. Filiarum numero alij Caldram addunt, quam fundatam volunt Anno Domini, 1134. sed ubi qnæram, adhuc planè nescio, invenire (credo) ingenij non est mei. Pergo. Fermoiæ sive Ardmoiæ (nam variè legitur) Cœnobium erat de Castro Dei, & de Campo Arby dictum, Cisterciensibus positum, Anno Christi M.C.LXX. alijs perperàm M.CC.IX. Fermoia (obitèr adnoto) Vice-comitis titulum præbet antiquæ & nobili familiæ de Rupe sive Roch.

Mawre.

IN eodem comitatu Monasterium erat Cisterciense, vulgò Mawre, (aliàs de Fonte vivo) dictum. Erectum Anno Domini, M. C. LXXII. De quo prætereà, nihil aliud comperi. 1172.

Donbrothy aliàs *de Portu ſanctæ Mariæ.*

1175. CIrca hunc annum, Hervæus de Montemariſco, *Mareſcallus Domini Regis* (Henr. 2.) *in Hiberniâ, & Seneſcallus* (ut loquitur diploma ejus) *de tota terra Richardi Comitis* Pembrochiæ, *dedit Ardfithein Croſgormok*, &c. *Deo & ſanctæ* Mariæ *& ſancto Benedicto, &* Monachis *de Bildewas* (in Anglia) *ad* hanc *Abbatiam conſtruendam.* Hervæus ille, paulò pòſt in patriam reverſus cucullum induit Cantuariæ. Inter alios qui reditibus adauxerunt, in primis memorantur jam dictus Richardus, cognomentô *Strong-bowe*, Pembrochiæ Comes, & ejus è filiâ nepos, Walterus, Comes itidem Pembrochiæ. Richardus ille (quem dixi) fundamenta jecit ampliſsimæ, imô (dum ſtetit) auguſtiſsimæ illius domus militum Hoſpitalariorum, unicô milliari à Dubliniô diſtantis, cui *Villam de Kilmainam* (uti in archivo fiſcali an. 17. & 18. Hen. 8. videre eſt) conceſsit. Verùm hæc (quod aiunt)

aiunt) extra oleas. Cœnobium hoc Dunbrothiense, Pontifices Romani multis privilegijs & immunitatibus, jurisdictioni Episcopi Fernensis derogantibus, ornârunt: ut liquet ex hujus loci registro. Subjectum est demùm Abbati Beatæ Mariæ Dublin. annuâ quadam pensione Abbati Bildewasensi reservatâ.

Monaster-Evin.

ROsglas aliàs de rosea valle, vulgò Monaster-Evin. (Monasterium ad ripam 1178.
Barroi fluuij in comitatu Kildariæ) Cisterciensibus est positum, 1178. vel (secundum annales Monasterij Beatæ Mariæ Dubliniensis) M. C. LXXXIX. Nomen habet à sancto Evino, è cujus scriptis multa se hausisse fatetur Ioscelinus *de Furnes*, quæ operi suo, de vitâ sancti Patricij, inseruit. Ædes ibi speciosas extruxit Honoratissmus vir, Adamus Vice-comes *de Ely*, Hiberniæ Cancellarius.

Ashroe,

Aſhroe, aliàs *Eſarua*.

1178. AVthor Annalium Hiberniæ à Gulielmo Camdeno editorum *Abbatiam de Samaria fundatam* tradit *nono Calend. Decemb.* M. C. LXXXVIII. Annales Buellienſes annum habent M. C. LXXXIIII. Illa, aut eſt Abbatia Aſhroenſis in comitatu Donagalliæ, aut tãquam nubes me obduxit Samarius fluuius, quem illo tractu locat Giraldus Cambrenſis.

Chore, aliàs *de Choro Benedicti in Comitatu Corcagiæ*.

1180. NIhil habeo quod hîc adnotem, niſi erectum fuiſſe hoc cœnobium anno 1180. & Barrios patronos agnoviſſe.

Jeripont.

1180. IEripont perpulchrum olim Monaſterium (ut reliquiæ jam teſtãntur) à Donato O

Donogho

Donogho regulo, extructū est, & magnis reditibus locupletatū. In hoc cœnobio conduntur (præter alios melioris notæ, quorū sepulchrales imagines ibi jacēt) ipse cōditor Donatus, & Fœlix O Dullany Episcopus Ossoriensis, ad cujus tumulum, miracula nescio quæ, olim patrata dicuntur. Sedet ad dextrā Neori ripam, in comitatu Kilkenniensi. Abbas hujus Monasterij ante suppresṡionem, locum suffragiumq; habuit inter proceres in comitijs Parlamentarijs, uti hi etiam ex alijs cœnobijs.

Abbas.	Mellifontis. S. Tho. Dubl. B.M. Dublin. Baltinglassiæ. Tinternæ. Douskæ. B.M. Tracto. Donbrothiæ. B. M. Magio. Wetheniæ. Rosglassiæ. Bectiffiæ. Rathtoæ.	Prior.	S. Io. Hierusal. S. Trin. Dubl. S. Pe. novę ville juxta Trim Conallæ. Kenlisiæ in Ossoriâ. S Patricij de Duno. Omnium SS. Dublin. S. Ed. Athassel Killaghæ.

Hæc ex ipſis (quas vocant) *ſummonitionibus* deſumpſi.

Leix (alias *de Lege Dei*) *in comitatu Reginæ.*

1183. FVndatur Anno M. C. LXXXIII. aut fortè antè, (ut alij perhibent) per *Cochegerium O Mvore.*

Jniſlawnaght.

1187. CIrca hoc tempus Iniſlawnaght, non ultimæ ſortis cœnobium, (ſive vetuſtatem ſive venuſtatem ſpectes) fundatum eſt, & prædijs locupletatum à Donaldo O Brien, Rege Limericenſi & Malachia O Felan, *Deſienſium* (perperàm opinor dictô) *Comite.* Iacet ad Surium (flumen nobiliſsimum) in Comitatu Tipperariç, unde Monaſterium *de Surio* quandoque eſt dictum.

Inis (aliàs *Inis-Curcy*) *in Comitâtu Dunenſi.*

CAlendis Iulij M. C. LXXXVII. (ut in annalibus evulgatis videre eſt) *fundata eſt Abbatia de Inis*, quibus conſentiunt MSS. Annales Mo. B. Mariæ Dublin. Monaſterium hoc fundavit (ſeu potiùs à Carrig hùc tranſtulit) Ioannes de Curcy comes Vltoniæ. In Archivis Regijs *Cella* appellatur cœnobij Forneſſenſis. 1187.

Knockmoy.

CArolus, cognomento *Crovederge*, Conaciæ Princeps, fundâſſe dicitur Monaſterium Knockmoienſe (aliàs *de Colle victoriæ*) in comitatu Galvidiæ, in victoriæ memoriam, quę eo loci fœlicitèr illi ceſsit. Obijt M. CC. XXIIII. in hoc cœnobio tumulatus, habitu Ciſtercienſis Monachi priùs ſuſcepto. 1189. *al.* 1190.

Circa hæc tempora *Cleary*, Monasterium in agrô Maionensi, (posteà membrum sive cella hujus Monasterij) fundatum videtur.

Leigh(aliàs *de jugo Dei*)*vulgò* Grey Abbey.

1193. HOc Anno vel(secundum Annales Monasterij Beatæ Mariæ Dublin) anno M. C. XCVII. Abbatiam de jugo Dei in comitatu Dunensi, instituit Africa uxor Ioannis de Curcy Vltoniæ expugnatoris, & filia Godredi Regis Manniȩ, in quâ ipsa posteà sepulta est.

Corcumro.

1197. Cœnobium Corcumrothense, aliàs *de Petra fertili* in agrô Clarensi (*filiatio* uti anteà dixi cœnobij Furnessensis in Lancastriâ) fundatur anno Christi M.C.XCVII.unà cum Kilsonna ejusdem Monasterij cellâ.

Comerer

Comerer in comitatu Dunenſi.

DE hoc cœnobio, preter annum fundationis qui in margine notatur, nihil 1199.
comperi.

Tintern (alias *de voto*) *in comitatu Wexford.*

GVlielmus *Mareſcallus* ſenior, Pembrochiæ comes, cùm efferatam tempeſta- 1200.
tem evaſiſſet, ex voto, hoc cœnobium conſtruxit, & Monachis implevit, ex cœnobio Tinternenſi in Wallia, quibus Abbatem præfecit Ioannem Torrell.

Shrowle, alias *Shrowe*.

EOdem anno fundatum eſt (ſecundum An- 1200.
nales noſtros) *Monaſterium de flumine*

Dei Hoc idem esse existimo, quod vulgò Monasterium Shrowlense appellatur in comitatu Longfordiæ. Sed opinionem sanioribus judicijs submitto.

Dusk in comitatu Kilkenniæ.

1202. DE hujus cœnobij initijs & progressionibus, sic loci Registrum. *Anno Domi-*
al. 1203. *ni,* M. CC.II. *venit conventus de Stanleia, in Hiberniam, qui primò habitabat apud Loghmeran juxta Kilkenniam, deindè apud Athnamolt, & posteà apud Castrum, ultimò in loco ubi nunc sunt, & vocatur locus sancti Salvatoris, aliàs de Duisque.* Deindè in anno M. CC. VII. *Hoc anno Gulielmus Marescallus venit in Hiberniam & fundavit Abbatiam de Duisque.* Anno item M. CC. XXVII. *B. Frigidi Montis Abbas, missus à capitulo generali Cisterciensi, ad Abbatias Hiberniæ visitandas, cum plenitudine potestatis, intelligens quod Abbatia de Valle Dei, filia Ieripontis, adeò debitis

bitis & alijs gravaminibus eſset oppreſſa, ut de cætero per ſe ſubſiſtere non poſset, eam authoritate dicti Capituli, proximæ Abbatiæ ſancti Salvatoris, conjunxit & incorporavit, inſtrumento dato apud Dublin, M. CC. XXVII. *in feſto Beatæ Mariæ Magdalenæ.*

Woney.

Cœnobium hoc olìm *VVetheny* & *VVodeny* dictum, ſitum eſt in comitatu Limericenſi, à Theobaldo Walter *Hiberniæ Pincernâ* fundatum, & multis prædijs dotatum. Filius is fuit Hervæi Walter, & frater Huberti Walter digniſsimi illius Cantuarienſis Archiepiſcopi, ut liquet tùm ex fundationis chartâ, tùm ex Regiſtro Monaſterij ſancti Thomæ Dublin. Ab illo, ſtemma ducit Nobiliſsima Butlerorum (in Hiberniâ) familia. 1205.

Larha

Larha.

1211. LArha, vel literis transpositis Larah (antiquitùs *Granard*) in comitatu Longfordiæ, cœnobium Cisterciense, fundatur à Richardo Tuite milite loci Domino, cujus posteri etiamnùm florent in comitatu Westmidiæ.

Moycosquin.

1218. CAtalogus quarundam *domorum Cisterciensium* Registro Honoris Richmondiæ insertus, *Abbatiam de Dere in Hiberniâ, fundatam* tradit VI. *Kal. Martij* 1218. Atqui cùm certum sit, sodalitium Cœnobij Derensis, ab anno D. XLV. quô patrij scriptores fundatum memorant à sancto Columba, usque ad tempus suppressionis, fuisse Augustinianum; aut *illa* est Moicosquinensis *Abbatia* (quæ sanè sita est in Diocesi Derensi) aut ubi quæram, ignoro.

Tracton

Tracton in comitatu Corcagensi.

TRacton (perperàm in jam dicto Richmondiæ registro, Creccotren) aliàs de Albo Tractu, Cisterciensibus ponitur anno Domini M.CC.XXIIII. Possessiones confirmavit Edwar. III. Rex Angliæ. 1224.

Mon. de Rupe Cassel. in Crociâ *Tipperariæ.*

DE hoc Cœnobio suprà dixi, in Davide mac Carwill Archiepiscopo Casselienfi; nec est, cur repetam. 1260.

FINIS.